



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Et Epistolas ad Collegia ab se condita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

hæc pro more ille suo, quo cultu præcipuo sanctos venerabatur iis celebres locis, quibus ipse inhabitaret, Sanctorum Mauritij, & sociorum Thebaeorum Vitas, quia per ea loca Martyrio coronati, itemq; sanctorum Fridolini, & Nicolai Eremitæ Heluetiorum Germanico sermone conscripsit, haud mediocri erga Cælites illos publicæ pietatis accessu. Eadem lingua librum de sacra Cōfessione, & communione, & conciones in quatuor sacri Aduentus Dominicas, & in Natalem Domini vulgavit. Scribebat, & ad notos hortatorias literas, & interdum communiter ad Collegia præsertim quibus ipse instituendis adfuerat: illud Apostolorum Principis egregiè tenens. Iustum autem arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo suscitare vos in commonitione, certus quod velox est depositio tabernaculi mei. Commemorabat beneficentiam eorum, qui Collegia instituisent; vtq; erat ipse singulari quadam grati animi virtute præditus, hortabatur socios ad memoriam eorum conseruandam, gratumq; in eos animum perpetuò demonstrandum: deinde vt suo munere in custodia disciplinæ, & animis adiuuandis strenuè fungerentur. Non nullæ ex-

*Et Epistolas ad Collegia abjectas.*

tant id genus literæ, ac nominatim ad Pragenſes, ad Monachiennes, ad Oenipontanos Collegas; quarum huc partem non alienum erit adſcribere, vt ſanctiſſimi ac ſapientiſſimi Patris ſupremæ voces vndiq; perſonent Poſteriorum aures.

*Ad Pragenſes*

Et Pragenſes quidem præclare admonet non modo vt Auſtriacis Collegij Autoribus, ſed etiam vt Diuis Tutelaribus Ciuitatis grati ſint, vt qui ſint omni exceptione maiores ex cælo Patroni, & amici: & quorum potentibus, fidisq; ſuffragiis ſtare ad id loci, atq; durare eorum res certiffimum ipſe habebat. Quare gratioſa, inquit, & frequens apud vos memoria vigeat Diui Adalberti primi apud Boemos Apoſtoli, Diui Venceslai Principis, ac Martyris. Diui Clementis Patroni veſtri Apoſtoli, Diui Sigismundi Regis Burgundici, & aliorum quoq; ſanctorum, quorum nomina, & merita, vt ſanè iuſtum eſt, in Pragenſi Eccleſia tot ſæculis celebrantur, & quorum efficaci interceſſione multa vobis, veſtrisq; conatibus diuinæ gratiæ munera, mihi credite, ſubinde communicantur. Poſtremo etiam, atq; etiam rogo, vt quotquot apud D. Clementem habitatis, vocationis veſtræ memores, concreditam vobis Vineam Boëmicā  
magni